

dicunt Philosophi : Inuerte elementa, tunc, quod quæ-
 ris, inuenis. Elementorum inuersio autem est humidum
 ficcum facere, fugax fixum: & vir cogit conjunctum, vt
 se ipsum pariat. Multi dissectiones istas inquirunt, &
 nonnulli reperiunt quidem dissectiones, quæ tamen
 ignis necessitatem tolerare nequeunt. In illo siquidem
 pauciores fiunt. Nostræ autem dissectiones, quæ ex
 venerabili lapide conficiuntur, majus ignis onus tole-
 rant, & numquam ab illo ad paucitatem rediguntur:
 Cum igne siquidem sustentantur, quum nulla mater in-
 fantem suum occidat, quem tamen alimentauit. Vnicæ
 itidem res sunt, quæ, tam in: quam etiam extrinsecus, ru-
 brum albumque faciunt. Primum, tardo lentoque ali-
 quo igne, idque bonitatis suæ fit initium, veluti Philoso-
 phi loquuntur. Si illum nunc natum videas, tunc ob-
 serues quod albedo in corpore nigredinis occultata con-
 seruetur: atque tum albedinem à nigredine abstrahere
 necessum habes. Sin itaque album adpareat, memento
 tunc, quod rubrum in albo occultatum latitet. Quo a-
 nimaduerso extractionem illius intermittas, & coctio-
 nem inchoes, donec omnino rubrum fiat. Nec mireris,
 quod æs nostrum à Philosophis variis nominum generi-
 bus insigniatur, vtpote Anima, spiritus, & Corpus. Appel-
 lantur namque sæpenumero fratres, &, quum matrimo-
 nio conjunctis æquiparentur, conjugales Socij, inquit
 Geber: Aliquando solummodo appellatur spiritus, vel
 dumtaxat corpus. Obseruandum igitur, nisi illorum
 quodlibet in aquam commutetur, tunc opus minime
 perficitur. Quocirca ignis flamma corpus penes se to-
 lerare, & debilitare necessum habet, donec omne in a-
 quam